THEOLOGISCHE SAMMELHANDSCHRIFT

Entstehungsort unbstimmt, 15. Jh. Seite 21r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31296
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

et corruptibilem vitam. Nam intantum quidam
hanc amplectuntur licet ex vix necessaria me-
dicando aut laborando habeant, ut si
possent hic semper vivere de regno dei nil
curarent. O insani et infideles corde
qui tam profunde in terrenis iacent, et nil
nisi carnalia sapiunt. Sed miseri adhuc
in fine graviter sentient quam vile et nil
erat quod amaverunt. Sancti autem dei
et omnes devoti amici xpi non attenderunt
que carni placuerunt, nec que in hoc tempore
floruerunt, sed tota spes eorum et intencio ad
eterna bona anhelabat. Ferebatur totum
desiderium ipsorum ad mansura et invisibilia,
ne amore visibilium traherentur ad infima.
Noli frater amittere confidenciam proficiendi ad
spiritualia. Adhuc habes tempus et horam.
Quare vis procrastinare propositum tuum.
Surge et in instanti incipe et dic. Nunc
tempus est faciendi, nunc tempus est pug-
nandi, nunc tempus aptum est emendandi.
Quando male habes et tribularis tunc
tempus est promerendi. Oportet te transire
per ignem et aquam antequam venias ad re-
frigerium. Nisi tibi vim feceris vicium
non superabis. Quamdiu istud fragile cor-
pus gerimus, sine peccato esse non possumus.